Solvere captivos hoc auri postulat usus:
Sic poteris gazas exuperare Midæ.

MARGARETHA, ALBERTI PATIENTIS Archiduc. Austr. filia 2. Adavia paterna.

MARGARIS Austriaco fuit huic de sanguine conjux
Et fuit Alberti Cæsaris illa Soror.
Fœmina par illis quas aurea protulit ætas
Assueri conjunx Esthera qualis erat.
Edidit hæc pulchram terfacta puerpera prolem,
Successor regni filius unde fuit.

Tertius Adavus & Adavia paterna.

Illustriss. Princip. & Domini,

Dn. IOANN. FRIDERICI SPONSI, & Dominorum Fratrum Ducum Würt. Comitum Mompelg.

JOANNES V. Comes Salmæ in Lotharing. Natus Patre Joann. Com. Salm. & matre Philippa filia Reinhardi Com. Falcoburg. Uxores habuit duas: 1. JOANNAM filiam ANDREÆ Lib. Baron. Janivillæ, Princip. nostror. Adaviam paternam &c. 2. HILDEMURDAM filiam Gwilielm. lib. Baron. Fierfæ.

Castrum Salmæ conditum in angustiis sylvæ Arduennæ, in edito colle, proximè supra Monasterium Stablense, à conditore Salmo nominatum fertur, qui vixit annis sexaginta sex ante natum Christum, & habuit uxorem Clotildam Arióvisti Regis Saxonum filiam, ut Laurent. Hochwardus Canonic. Paravienſis. affirmat, qui hanc stirpem à Trojanis Ducibus repetit. Et quidem nostris etiam temporibus, Comites Salmens. à peritia & fortitudine militari egregiè commendantur.

CAR-